



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 115. Vtrum creatio sit aliquid in creatura, & vtrum consistat in aliqua
relatione, vel modo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

10. Ad 4. concedo maiorem, ac nego minorem. Est enim falsa imaginatio, quod inter ens, & nihil sit medium quo idam infinitum, & quod ens infinitè distat à nihilo. Nam vnumquodque creatum ens distat à nihilo solum per totam suam entitatem; sed habet solum entitatem finitam; ergo solum finitè distat à nihilo.

QVAESTIO CXV.

*Vtrum creatio sit aliquid in creatura,
& vtrum consistat in aliqua relatione, vel modo?*

S. Thom. qu. 45. art. 3.

1. Videtur, quod creatio passiva non sit in creatura, primò quia creatio activa, qua Deus constituitur creans in tempore, cum sit temporalis, non est in Deo: alioquin in Deo esset aliquid temporale; ergo creatio passiva, qua creatura constituitur creata, non est aliquid in creatura.

2. Secundò si daretur creatio media inter Deum, & creaturam, qua Deus crearet creaturam, creatio non esset Deus, cum esset contingens, & creata; nec esset creatura, alioquin ipsa creatio esset creata per aliam creationem, & sic in infinitum, siquidem de creatione creationis redit argumentum.

3. Tertiò si creatio esset in re, quæ creatur, & distingueretur ab eius substantia, esset accidens substantiæ creatæ, e. g. esset accidens Angeli; sed omne accidens recipitur in subiecto, cuius est accidens: ergo Angelus esset subiectum actionis creativæ; sed subiectum est prius natura, quam accidens in ipso receptum; ergo Angelus esset prior natura, quam actio, qua creatur: sed cum Angelus sit etiam terminus productus per actionem creativam, est etiam posterior actione creativæ; ergo inter actionem creativam, & rem creatam daretur mutua prioritas repugnans.

4. Quarto quæ sunt mutuo inseparabilia non debent distingui à parte rei, sed solum ratione, & per intellectum; sed substantia creata, & creatio passiva ipsius sunt mutuo inseparabiles: nam neque substantia Angeli e. g. potest esse sine creatione passiva, qua creatur à Deo, neque creatio passiva, qua Angelus creatur, potest esse sine substantia Angeli; ergo.

5. Respondeo, quod primò debemus examinare, vtrum creatio passiva, qua res creatur, sit aliquid in ipsa re creata distinctum à parte rei ab ipsa substantia rei creatæ, puta à substantia Angeli: secundo debemus examinare, quid talis creatio sit, vtrum sit relatio, vel aliquid absolutum, res, vel modus, & vtrum sit in ipsa re creata, tanquam in subiecto, cui inhaereat, vel cui pure adhaereat.

6. Circa distinctionem creationis passivæ à subiecto creato duæ sunt præcipuæ sententiæ. Prima sententia Vasquez 1. par. disp. 173. cap. 3. pro qua assertit Scotum in 3. dist. 8. quæst. 1. Durandum in 1. distinct. 30. quæst. 2. num. 14. docet actionem creativam, cum sit maximè intrinseca rei creatæ, ac habeat mutuam inseparabilitatem ab ipsa, non distingui ab ipsa re alia distinctione, quam rationis, & per intellectum.

7. Secunda sententia Caietani in hunc art. Ferrar. lib. 2. contra Gent. cap. 16. & 18. Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. & aliorum, quos ibidem refert Vasquez, docet creationem passivam distingui secundum rem à re creatæ, puta creationem passivam Angeli distingui ab ipsa substantia Angeli, ac esse accidens superadditum.

8. Existimo vtrunque sententiam esse probabilem, sed probabiliorē esse secundam, quæ assertit creationem passivam distingui à re creatæ, e. gr. creationem passivam Angeli distingui ab ipsa substantia Angeli.

9. Probatur primò: nam aliæ productiones rerum præsertim substantialium superaddunt aliquid substantiæ rerum productarum, formaliter spectans non ad prædicamentum substantiæ, sed ad prædicamentum relationis, ac actionis, & passionis; ergo etiam productio creativa superaddit aliquid substantiis productis. Probatur antecedens: nam productiones naturales, quibus homo generat hominem, equus equum, ignis ignem, superaddunt rebus productis, puta homini, equo, igni &c. aliquid ab ipsis distinctum, quod non spectat ad prædicamentum substantiæ, sed ad prædicamentum actionis, passionis, aut relationis, ut satis efficaciter probatur in Physica, ex eo quod posset esse producentis, & productum, absque eo quod productum penderet à tali producente, sed ab alio producente, vel à solo Deo: ergo. Rursus in divinis productiones Filij, & Spiritus Sancti distinguuntur aliqua distinctione obiectiva virtuali intrinseca à substantia Filij, & Spiritus Sancti, ut dictum est lib. 2. quæst. 98. quæ productiones passivæ non sunt formaliter substantiæ, sed relatio, & actio; ergo etiam productio creativa substantiarum, puta Angelorum, debet distingui ab ipsa substantia, & non spectare ad prædicamentum substantiæ, sed ad prædicamentum actionis, passionis, aut relationis.

10. Addo Sanctum Thomam in hoc articulo tum in corpore articuli, tum in solutionibus obiectionum, satis clarè docere, quod creatio distinguitur secundum rem à re creatæ. In corpore enim respondens quæstioni propositæ, *vtrum creatio sit aliquid in creatura*, notat, quod licet productiones particulares non creativæ aliquorum entium fiant per motum, & mutationem, ac proinde ex aliquo subiecto præexistente, tamen productio creativa, qua Deus dat rebus creatis totum esse, cum non supponat subiectum, non fit per motum, &

Y y

mu.

mutationem. Hinc infert, quod quandoquidem si ab actione, vel passione subtrahatur ratio motus, & mutationis, remanet sola relatio, creatio in creatura non ponit nisi relationem ad creatorem, vt ad principium sui esse; sed motus, & mutatio in rebus, quæ sunt per motum, & mutationem, ponunt aliquid secundum rem distinctum à talibus rebus; ergo supponit, & clarè indicat S. Thomas, quod creatio ponit in re creata relationem secundum rem, ac non solum per intellectum distinctam à re creata. In responsione ad primum docet, quod creatio actiue significata, importat actionem diuinam, quæ est ipsa Dei essentia, cum relatione ad creaturam, quæ relatio Dei ad creaturam est secundum rationem tantum, relatio autem creaturæ ad Deum est relatio realis. Si relatio creaturæ ad Deum sola ratione distinguitur à creatura, & tamen est realis, quæ relatio Dei ad creaturam sola ratione distincta à Deo non est realis? In resp. ad secundum docet creationem significari, vt mediam inter creatorem, & creaturam, licet creatio passiuæ sit in creatura, & sit creatura; & quia ex eo, quod creatio esset creatura, videbatur sequi, quod produceretur per aliam creationem distinctam, negat sequelam ex eo, quod relatio cum se ipsa sit ad aliud, non refertur alia relatione. Quis non videat Sanctum Thomam hoc discursu supponere substantias creari per creationem distinctam, ac creationem cum sit relatio, non creari per aliam creationem distinctam? Sed clarissime in resp. ad tertium dicit, quod creationis secundum, quod verè est relatio, creatura est eius subiectum, & prius ea, sicut subiectum est prius accidenti, ac proinde expressè docet creationem esse accidens receptum in re creata cum quadam posterioritate, ac consequenter distinguì secundum rem à substantia creata.

11. Probaturs secundò conclusio; nam, quæ creantur sunt indifferentia, vt creentur hac, vel illa creatione; ergo creatio distinguitur à re creata: Probaturs antecedens; nam, Deus potest creare Angelum creatione, qua illum ordinet ad finem naturalem, vel qua ordinet ad finem supernaturalem; sed creatio, qua ordinet ad finem naturalem, potest esse intrinsecè, & essentialiter diuersa à creatione, qua illum ordinet ad finem supernaturalem, eo pacto, quo ordinatio, qua sagittarius sagittam dirigit ad vnum scopum, est intrinsecè diuersa ab ordinatione, qua illam dirigit ad alium scopum; ergo. Confirmatur; nam ad amplitudinem diuinæ omnipotentiae spectat, vt possit res creare, non vna tantum, sed diuersis creationibus, hac, vel illa, ac proinde vt creatio distinguatur secundum rem à substantijs creatis.

12. Posito, quod creatio distinguatur secundum rem à substantijs, & rebus creatis, quaerimus, quid sit, & ad quod prædicamentum, seu genus rerum pertineat?

Dicendum creationem esse quamdam actio-

nem, passionem, ac relationem; ac proinde pertinere ad prædicamenta actionis, passionis, ac relationis. Probaturs; nam creatio Angeli e. g. est actio, qua Deus producit, & creat Angelum, & simul est passio, seu productio passiuæ, qua Angelus producit, & creatur à Deo; & quia per hoc, quod Angelus creatur à Deo, vt loquitur Sanctus Thomas in corpore huius 3. articuli, habet relationem ad Deum, vt ad principium sui esse, ideo est etiam quædam relatio creaturæ ad creatorem,

13. Confirmatur; nam diuinæ productiones ad intra sunt quædam actiones, passiones, vel quasi passionis, & relationes; e. gr. generatio actiua, qua Pater æternus generat filium, est quædam actio, & productio actiua, & quædam relatio, qua generans constituitur Pater. Generatio passiuæ, qua filius generatur à Patre, est quædam passio, vel generatio passiuæ, qua filius generatur à Patre, & quædam relatio, qua persona genita constituitur filius; ergo proportionaliter creatio, qua Deus creat Angelum, est quædam actio, & productio actiua, qua Deus creat Angelum, & quædam relatio, qua Deus constituitur creator Angeli, Angelus constituitur creatura Dei. Verum hoc est discerni inter productiones, & relationes diuinas ad intra, & creationem; quæ est productio, & relatio ad extra, quod in productionibus, & relationibus diuinis ad intra, productio, & relatio actiua est in producente, ac realiter distinguitur à productione, & à relatione passiuæ, quæ est in producto; e. g. generatio actiua Filij, ac relatio Patris est in Patre, ac distinguitur realiter à generatione passiuæ, & relatione Filij, quæ est in Filio; at creatio actiua Angeli, ac relatio creatoris, cum sint temporales, non sunt in Deo, nisi secundum rationem, sed sunt in Angelo, ac Deus denominatur creans, & creator Angeli per relationem existentem in ipso Angelo.

14. Quæres primò, vtrum creatio sit relatio prædicamentalis, vel transcendentalis?

Respondeo, quod eo ipso, quod ita est relatio, vt sit simul actio, & passio, non est prædicamentalis, sed transcendentalis. Relatio enim prædicamentalis dicitur, quæ ita est restricta ad prædicamentum relationis, vt non vagetur per alia prædicamenta; relatio transcendentalis dicitur, quæ transcendit prædicamentum relationis, & vagatur per alia prædicamenta; sed creatio ita est relatio, vt sit simul actio, & passio, ac proinde transcendit prædicamentum relationis; ergo &c.

15. Quæres secundò, in quo subiecto recipiatur creatio? Cum enim sicut alix actiones sit accidens modale, debet recipi in aliquo subiecto?

Respondeo, quod recipitur in substantia, quæ per creationem creatur; e. g. creatio Angeli recipitur in ipso Angelo. Vtrum verò ita recipiatur, vt inhæreat, vel vt solum adhæreat subiecto, & quo pacto non sequatur mutua prior-

prioritas repugnans inter creationem, & rem creatam explicabitur in resp. ad 3.

16. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Creatio debet esse in eo, quod per creationem perficitur, sed per creationem non perficitur Deus; sed creatura; ergo creatio debet esse non in Deo, sed in creatura.

17. Ad 2. concedo, quod creatio sit quædam creatura, & quoddam accidens creatum spectans ad prædicamenta actionis, passionis, & relationis. Nec sequitur, quod si creatio esset creatura, deberet creati per aliam creationem: nam ultimum determinatum in aliquo genere non debet determinari per aliud determinatum, eo pacto, quo ubicatio non constituitur in loco per aliam ubicatorem, generatio non generatur per aliam generationem: ergo nec creatio creatur per aliam creationem.

18. Ad 3. concedo, quod creatio sit accidens receptum in substantia creata, tanquam in subiecto: e. g. quod Angelus sit subiectum suæ actionis creaturæ. Concedo rursus, quod inter actionem, & substantiam creatam detur aliqua mutua prioritas minus propria, ac non repugnans. Ut enim dixi in *Physic. quæst. 23.* quæ est de mutua causalitate, illa solum mutua prioritas repugnat, per quam duo ita se habent, ut utrumque constituat potentiam, ex qua aliud resultat. In hoc sensu neque creatio passiva est prior natura, quam Angelus, quia potentia proxima, ex qua resultat Angelus, est sola diuina omnipotentia, & non creatio, per quam creationem Angelus non constituitur potens produci, sed actu productus; neque Angelus est prior natura creatione passiva, quia potentia proxima, ex qua resultat creatio passiva Angeli, non est Angelus, sed solum diuina omnipotentia, ex qua resultat Angelus simul, & eius creatio passiva; ergo Angelus, & creatio passiva Angeli non habent propriam prioritatem, sed simultatem naturæ, cum resultent ex eadem proxima potentia, absque eo quod vnum constituat potentiam, ex qua resultat alterum. Habent tamen Angelus, & eius creatio passiva quandam mutuam prioritatem minus propriam, in quantum eo ipso, quod Angelus producit per creationem passivam, habet esse à creatione passiva, & pendet ab illa, tanquam à sua productione; & rursus creatio cum sit Angeli accidens, pendet ab Angelo tanquam à subiecto, in quo ita est, ut non possit esse, quin sit in illò. Quia creatio passiva est accidens pendens à subiecto sine rigorosa posterioritate naturæ, solent dicere aliqui recentiores, quod est accidens adhærens subiecto, non autem inhærens, putantes quod ad inhærentiam requiratur, ut forma pendeat à subiecto cum propria posterioritate naturæ. E conuerso alij recentiores reiiciunt hunc modum loquendi ut nouum, & absurdum, putantes omne accidens, & omnem formam materialem inhære subiecto, solam animam ra-

tionalem, quæ est forma spiritualis, purè adhære subiecto.

19. Ad 4. Respondeo primo, negando maiorem esse veram vniuersalitèr. Nam possunt aliqua mutuo inseparabilia realitèr distinguui, ut dictum est quæst. 32. *Logicæ*, in resp. ad primum.

Respondeo secundo, concedo maiore, & nego minorem. Ut enim dictum est num. 12. eadem res potest creari hac, vel illa creatione, ac proinde potest esse sine hac, vel illa creatione, ac potest separari ab hac creatione; ergo distinguitur secundum rem à creatione, quæ creatur de facto.

QVÆSTIO CXVI.

Vtrum creari sit proprium compositorum, & subsistentium.

S. Th. q. 45. art. 4.

1. **P**rimò videtur, quod creari non sit proprium rerum subsistentium. Nam in lib. de causis, propos. 4. dicitur, quod prima rerum creaturarum est esse; sed esse rei creatæ non est subsistens; ergo creari non est proprium rei subsistentis, imò primò conuenit rei non subsistenti.

2. Secundò videtur compositum materiale constans ex materia, & forma, puta cœlum, terra &c. propriè non creari. Illud enim propriè creatur, quod sit ex nihilo; sed compositum non sit ex nihilo, sed ex suis partibus componentibus, puta ex materia, & forma; ergo compositum propriè non creatur.

3. Tertiò, creatio est prima productio, quæ supponitur secundæ productioni, hoc est naturali generationi: ergo illud primò, & propriè creatur, quod supponitur in omni generatione naturali; sed in omni generatione naturali supponitur materia prima, ex qua fiunt omnia per naturalem generationem; ergo primò, & propriè creatur materia prima, non autem compositum.

4. Respondeo, quod primò, & propriè creantur subsistentia, tum simplicia, ut Angeli, tum composita ex materia, & forma, ut corpora, cœlum, terra &c. ideoque Gen. 1. dicitur. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Probat Sanctus Thomas: nam creari est fieri ex nihilo, ac fieri est accipere esse; ergo illa propriè creantur, quæ propriè accipiunt esse, & habent esse; sed sola subsistentia, seu sint simplicia, seu composita propriè dicuntur esse, & accipere, ac habere esse: formæ autem tum substantiales, tum accidentales, quæ sunt in rebus subsistentibus, non tam dicuntur esse, quam ijs subiectum esse, ac præsertim accidentia non tam sunt entia, quam entis entia: e. g. cœlum, terra, equus, leo, arbor, & alia subsistentia propriè dicuntur esse, forma cœli non tam est, quam